DE DIABETIS NATURA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giambattista Chioda

DE

DIABETIS

NATURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD

DOCTORIS GRADUM IN MEDICINA

ASSEQUENDUM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDAM

PROPONIT

CHIODA JOANNES BAPTISTA

VICETINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXX.

Diabetes morbus peculiari natura et adspectu praeditus veterum et recentiorum attentionem in se convertit. De hoc morbo officium implentes aliquid dicere statuimus, cum nec utilitatis, nec dignitatis expers argumentum nobis praebere videatur. De conditionibus morbosis essentialibus, a quibus Diabetes produci potest sermonem habere praesertim opportunum existimamus; sed ad hanc investigationem recte instituendam morbi formam, causas et curam necesse est cognoscere. Quam ob rem breviter aliquid de iis proponemus, et tali ratione ad morbi naturam inquirendam viam nobis sternemus.

Symptomata. Praecipua Diabetis signa morbosa sunt: fluxus copiosus, frequens ac paullo post potum locum habens urinae vel aquosae, vel albicantis, et saccharinum saporem exhibentis, sitis insatiabilis, cutis ariditas, aliarum omnium excretionum imminutio, vel suppressio, si interdum alvi fluxus excipiatur, appetitus vo-

rax, virium prostratio, pulsus parvus, celer, raro in primis stadiis febrilis. Morbo ingravescente exsurgit anorexia, dolores praesertim post ciborum ingestionem ad epigastrium, et lumborum atque vesicae regionem, faucium constrictio, alvi constipatio, quae postea in diarrhoeam transit, cephalalgiae, sensuum stupor, macies ac febris hectica in scenam prodeunt. Prostremum hoc Diabetis stadium veram phthisim constituit, quae ad ultimum fatum aegros omnes perducit. Diabeticorum urina fere semper cibos atque potus copia exsuperat, et interdum quinquagiota libras et amplius quotidie evacuantur (1). Liquor diabeticus qualitate aliquatus morbi initio vix dici potest, magis tantum aquosus videtur, et urea atque acida minori continet quantitate. Progredienta morbo albumina, et aliquantulum hydrocloratis sodae a Chemico possunt inveniri, et eodem tempore urea atque acida desiderantur. In morbo gravissimo saccharum in conspectum venit, et tunc affectio *Diabetis melliti* nomen sumit, qui a praecedenti *insipido* sic dicto distinguitur. Sanguinem quoque in polyuria alienatum invenerunt Practici et Chemici, nam aere ditissimum, et fibrinae albuminaeque inopem illum observaverunt.

(1) Frank P. Epitome.

Morbi duratio, et vis summopere differunt. Habetur quidem urorrhoeae quaedam species, quae sine functionum alienatione viget, et quasi physiologica dici potest. Haec liquidum praebet aquosum, qui plus minusve perdurat, et etiam interdum per annos perennis evadit. Similia comitantur phaenomena polyuria, quae post quaedam animi pathemata, potuum abusum, perfrigerationem, in vermionatione, in quibusdam convulsionibus, et praesertim apud hystericas observatur. Praeter hanc communem morbi nostri varietatem habetur etiam verus Diabetes, qui cum copiosissimo urinae fluxu, lenta consumptione et omnibus gravioribus antea dictis phaenomenis manifestatur. Hic frequentissime ad phthisurism, seu tabem diabeticam aegros perducit, interdum vero lentissime sanatur. Diabetis duratio varia est: hunc celeb. Dobson sexta hebdomada aegrum enecasse observavit. Saepius vero lentissime decurrit, et interdum qui per multos annos Diabetem passus fuit, ab alio morbo interficitur. Inter diarrhoeae urinosae variatates denique recensendus est gravidarum Diabetes, quem Bennewitz nuperrime in Borussia observavit. Apud masculos et infantes frequentior, apud viros et senes gravior Diabetes procedit.

Necrotomiae polyuria laborantium numquam apparatum uro-pojeticum integrum ostenderunt.

Praecipuae pathologicae metamorphoses in reoibus inveniuntur (1). Colora aliensta haec viscera manifestantur, nac non consistentis et mole. Ioduratio, crassities, vasorum praesartim venosorum ampliatio, mollities, suppuratio, vermes, et calculi ioventi fuerunt. Quae vitia non solum haec viscera aggrediuntor, verum etiam ad ureteres, et vesicam urinarism extenduntur. Organa digestiooem perficieotia non rsro phlogistici processus sequelas exhibeot, et praecipue ventriculus, duodenum ae mesenterium, ut Dupuytren aliique observaruot.

Causae. Diabetis causae praecipuae sunt: potuum aquosorum solveotium ac mineralium abusus longe protractos, diureticorum ac purgantium ineonciona ac immodica administrstio, homiditas aeris, vestium, humi etc. His addenda sunt equitatioois abusus, causae traumaticae regionem lumbarem laedentes, perfrigerationes, ciborum ae potuum stimulantium usus immodicus. Caussrum praedisponentium potissima est physiologica debilitas ac laoguor, qui apud infantes, convalesceotes et seoes praesertim evolvitur.

Methodus curativa. Fere omnis pharmacorum

(1) V. Giorn. Omod. 1828. n.° 142.
Dizionario delle scienze mediche ec. Diabete.

supellex in usum nostro in casu fuit vocata. Opium, vinum, nutrientia, frictiones siccae, et volatilia inter stimulantia: venae sectio, hypecacuana, rheum, acidum sulphuricum, tamarindus, zincum, nec non digitalis purpurea inter deprimentia summas laudes in hujusce morbi medela meruerunt. Rasori (1) nitrum in Diabete sthenico commendavit, sed remedium hoc, quod saepe quamvis deprimens renes etiam sanos irritat, prudens practicus in usum vocare opportunum non judicabit. Non raro tamen accidit, ut omnia Medicum artis incassum auxilia adhibeat, quod vel morbi naturae, vel therapiae incertae et reluctantis usui est tribuendum. Et revere ex varia Diabetis indole ipsum varia medendi ratione sanabilem, et hinc curandum esse posse patet, imo quandoque insanabilem et organicum: sed methodi mixtae et reluctantis usum haec omnia legitimum reddere non poterunt, quamvis ejusdem originem patefaciant.

Illa Medicinae pars, quae morborum naturam ac genesim indagat, duo potissima praebet argumenta. In primo omnium phaenomenorum morbi peculiaris negligitur explicatio, et de essentialibus organismi conditionibus, e quibus mor-

(1) De nitro. V. Annal. di scienze e lettere.

bus originem ducit, agitur; Anatomia, Physiologia, atque praesertim pathologico-practicae notiones hujusce studii fundamentum constituunt. Alterius phaenomenorum morbi explicatio propria est, quae ex antea dictis scientiis eruitur; sed ut in casu praecedenti Pathologia ac praxis, ita hoc in casu Anatome et Physiologia frequentius in usum trahuntur. Quae sunt morbosae essentiales differentiae, ad quas Diabetes pertinere potest? En primum ac potissimum argumentum morbo nostro applicatum. Ut morborum essentiales conditiones determinentur, causas, phaenomena, sequelas ac methodum curationis perpendere oportet et comparare, atque ex his omnibus certa earum cognitio manabit. Si causae Diabetis perspiciantur, quaedam debilitantes, quaedam stimulantes, vel irritantes, vel etiam ambiguae actionis invenientur. Potus aquosi, ser humidus etc. inter primas, laesiones traumaticae inter alteras, perfrigeratio ac causae praedisponentes inter tertias sunt recensendae.

Quoad phaenomena generalia ac communia Diabetis ipsissima ambiguitas remanet. Et revera an profluvium per se, vel etiam suis cum necessariis sequelis, ex. gr. siti, nutritionis ac vis muscularis languore conjunctus propriam naturam patefacit? An sthenicam, asthenicam, irritativam, vel organicam indolem manifestat? Si fe-

bris adsit continua, stheniese naturae Diabetes non immerito poterit declarari. Si verae phthisis adsint symptomata, morbus organicos ac primitus phlogisticus declarabitur. Si adsit graviditas, Diabetes symptomaticus sthenicus, et ut ejusdem graviditatis complicatio erit respiciendus, quae omnia a natura ipsa graviditatis, quae physiologica phlogosis est putanda (1), emanant, et a methodo curative, a Bennewitz adhibita confirmantur. Si helminthiasis, hysteriae adsint symptomata, nec urorrhoeae characteres talium adfectionum iodoli adversentur, harum tantum sequela erit habendus. Sed si forte, ut raro non accidit, haec omnia absint, quot dubia atque incerta! Quid e solis morbosis phaenomenis de ccxae ostura eruendum? An hypersthenicus, an hyposthenicus, irritativus, vel organicos Diabetes habendus? Horum omnium veritatem necrotomiae haud dubie demonstrant, quibus summorum practicorum errores patefacti fuerunt, et varias Diabetis causas proximas esse posse in conspectum venit. Et revera phlogosis exitus in cadaveribus inventi illum hypersthenicum et organicom demonstrarunt, irritativum ps-

(1) Scassi de membrana decidua. Tommasini dell' infiammazione.

riter vermes et calculi ostenderunt. Mollities tandem, venarum repletio utrius processus diathesici sequelam esse posse e recentioribus fuit demonstratum. Nam mollities post phlogosim manifestam et cum aliis ejusdem processus terminationibus conjuncta non raro nuperrime inventa est a Rostan aliisque plurimis; et in venenatione per acidum hydrocyanicum inducta Magendie, Orfila (1) atque alii hunc exitum in ventriculo, hepate, liene et corde invenerunt.

Methodus curativa tandem prudenter adhibita ad morbi naturam recte determinandam tutius praebet criterium, et quae de varia Diabetis indole supra exposuimus, confirmat. Curae cujusvis inutilitas de morbo agi organico demonstrabit. Variae Diabetis curandi methodi ad stimulantem, deprimentem atque anthelminthicam reduci possunt. Primae Diabetes hyposthenicus, secundae phlogisticus, tertiae irritativus a verminatione respondet. A varia igitur curationis indole atque energia quatuor Diabetis species dari posse consequitur. Diabetes diathesicus hypersthenicus, seu phlogisticus, diathesicus hyposthenicus, adiathesicus organicus, adiathesicus demum irritativus a verminatione. Hisce addendum

(1) Annali di Omodei 1829.

quidam forsan judicabunt Diabetem symptomaticum ex. gr. hysterismi, quem cum morbum per se non constituat, sed tantum morbi phaenomenon secundarium inter urorrhoeae species non recensendum existimamus. Nec supra enunciatae quadruplici divisioni causarum, phaenomenorum ac sequelarum morbi indolis obstat, imo vehementer confirmat, quae omnia ex antea dictis satis liquere nobis videntur.

Haec quoad Diabetis morbosas conditiones: superest tamen phaenomenorum peculiaris explicatio. Praecipua cujusvis Diabetis species propria symptomata ad copiosum profluvium, sitim, secretionum imminutionem et nutritionis languorem reduci possunt. Haec omnia profluvio ita necti nobis videntur, et ita huicce phaenomeno ioniti, ut ejusdem causa inventa cetera explicatu facillima evadant. Et revera secretionum imminutio, quae sitim, cutis ariditatem producit, ex antagonismo illo pendere scimus, cui omnes secretiones obnoxiae sunt et pathologico et physiologico statu vigente. Nutritionis languor et macies ex maxima humorum jactura produci evidenter patent. Hoc in urorrhoea ebylosa sic dicta et saccharina, in qua substantiarum emissio major est, promptius se facilius locum habeat necesse est, et reapse constanter observatur. Hinc evidenter patet quod polyuriae phae-

nomeno explicato, cetera facillime ab illo possunt induci.

Profluvium pleraque nobis praebet explicenda phaenomena. Haec redigi possunt ad liquidi copiam, immediatum post potum urinae effluxum, qualitatem denique ejusdem, quae saepe mucosa vel saccharina est. Quae sit intima mixtionis organicae conditio, quae talia pathologica phaenomena inducit, adhuc nobis non constat; hoc frustra plerique celeberrimi scriptores penetrare sunt conati. Quod tantum nobis scire conceditur, id est, quod non conditione hypersthenica, ut Broussais aliique docent, verum etiam hyposthenica et irritativa vigentibus, diabetica conditio locum habere potest. Sed si antea dictorum phaenomenorum causam primitivam ignorare debemus, anne omnia, quae ad vias, quae liquidus percurrere debet, referuntur, negligemus? Liquidi copia quandoque potuum ciborumque potus exuperans, immediata, quae potum diuresis sequitur, urina, quae in sanguine non invenitur, principia continens, communibus de uro-pojesi vigentibus opinionibus haud explicabilia inveniuntur. Haec omnia, qui non solam urinae originem, nempe ex sanguine tribuebant, facillime explicabant. Darwin per motum lymphaticorum inversum (1), Rasori

(1) Darwin Zoonomia.

per porositatem membranarum hic exsudantium, illic absorbentium, alii per textum cellularem liquida ad vias urinarias vehi posse admittebant. Contrariae opinionis fautores pleraque gravissima argumenta opponebant. Experimenta etiam ab utraque parte tentabantur, et vivisectiones. Kratzenstein (1) vesica canis per catheterem evacuata ureteres superius apud renes adligabat: ingentem aquae copiam animal postea haurire cogebatur, quod paullo post copiosissimam urinam emittebat. His Jacopi (2) experimenta opponebantur, in quibus ureteribus inferius ligatis urinae transgressus in vesicam omnino fuit impeditus. Hisce omnibus ad trutinam revocatis incertum adhuc summorum physiologorum judicium erat, cum Lippi observationes de lymphaticis publici juris factae fuerunt (3). Ille non solum truncos inhalantium cum venis communicantes invenit, verum etiam plerosque, qui in ureteres aperiebantur. Tales observationes, quae plurimorum phaenomenorum explicationem praebuerunt, etiam in casu nostro maximae utilitatis esse possa nobis videntur. Et revera nunc nimiam urinae copiam ingestorum quandoque pondus exsuperan-

(1) Haller Disput. T. IV.
(2) Del moto retrogrado dei linfatici.
(3) Gallini Fisiologia 1825. Appendice T. I.

tem, quae cutis absorptioni praecipue tribuenda est, harum ope facilius explicara possumus: praeterea immediata ingesti emissio, nec non chylosae, vel aliter alienatae urinae substantiae, quae in sanguine non inveniuntur, facillime possunt explicari. Lippi denique inventa, Kratzenstein, et Jacopi opposita, ut videtur, et inter se pugnantia experimenta conciliant. In Kratzenstein experimento lymphatica se in ureteribus aperientia, et pars ureterum respondens cum vesica communicabant, et hinc urinae collectio normali in excipulo concedebatur, dum in experimentis Jacopi, ligatura inferius facta, huic liquido transgressus atque collectio in vasica vetabantur.

THESES PROPUGNANDAE

I.

Dierrhoea ad utramque diathesim pertinere potest.

II.

Diabetis varia esse potest causa proxima.

III.

Scirrhi unicum remedium ferrum.

IV.

Diabetes in juvenibus, et e levioribus causis excitatus curari potest; cum vero senes adoriatur, ipsos ad tabem totius corporis et ad marasmum perducit.

V.

Si in Diabete stomachi vires adeo debilitentur, ut chylosae ipsae substantiae parum, aut nihil immutatae per vias uro-pojeticas sibimet viam faciant, morbus fere incurabilis evadit.

449388 A